



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

L. Annæi Senecæ Philosophi Opera, Qvæ Exstant Omnia

Seneca, Lucius Annaeus <Philosophus>

Antverpiæ, 1605

L. Annæi Senecæ Ad Lvcilivm Natvralivm Qvæstionvm Liber Qvartvs.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-53700](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-53700)

L. ANNÆI SENECAE^A
 AD LVCILIVM
 NATVRALIVM QVÆSTIONVM
 LIBER QVARTVS.

In quo de niue, grandine & pluuia agitur.

PRÆ-
 FATIO.



DELECTAT te, quemadmodum scribis, Lucili virorum optime,^B Sicilia, & officium procurationis otiosæ. Delectabit, si continere id intra fines suos volueris, nec efficere imperium, quod est procuratio. Facturum te hoc, non dubito. Scio quàm sis ambitioni alienus, quàm familiaris otio & litteris. Turbam rerum hominumque desiderant, qui se pati nesciunt. Tibi tecum optimè conuenit. Nec mirum paucis istud contingere, imperiosi nobis ipsis & molesti sumus: modò amore nostri, modò tædio laboramus; infelicem animum nunc superbiam inflammas, nunc cupiditate distendimus: aliàs voluptate laxamus, aliàs solitudine exurimus. Quod est miserrimum, numquam sumus singuli. Necesse est itaque assidua sit, in tam magno vitiorum contubernio, rixa. Fac ergo, mi Lucili, quod facere consuesti. A turbâ quantum potes, te separa, nec adulatoribus latus præbeas, artifices sunt ad captandos superiores. Par illis, etiam si benè caueris, non eris. Mihi crede capieris, si proditori ipse te trades. Habent hoc in se naturale blanditiæ: etiam cum reiiciuntur, placent: sæpe exclusæ, nouissimè recipiuntur. Hoc enim ipsum imputant, quòd repelluntur, & subigi ne contumeliâ quidem possunt. Incredibile est, quod dicturus sum, sed tamen verum. Eâ maximè quisque patet, quâ petitur. Fortasse enim ideo, quia patet, petitur. Sic ergo formate, vt scias non posse te consequi, vt sis impenetrabilis. cum omnia caueris, per ornamenta feriet. Alius adulatione clam vtetur parè: alius ex aperto, palàm rusticitate simulatâ, quasi simplicitas illa, non ars sit. Plancus artifex ante Velleium maximus, aiebat nò esse occultè, nec ex dissimulato blandiendum. Perit, inquit, procar, si latet. Plurimum adulator cum deprehensus est, proficit: plus etiamnum si obiurgatus est, si erubuit. Futuros multos in personâ tuâ Plancos cogita: & hoc non esse remedium tanti mali, nolle laudari. Crispus Passienus, quo ego nil cognoui subtilius in omnibus rebus, maximè in distinguendis & curandis vitiis, sæpe dicebat, adulationi nos opponere, non claudere ostium. Et quidem sic, quemadmodum opponi amicæ solet. Quæ si impulit, grata est: gratior, si effregit. Demetrium egregium virum memini dicere cuidam libertino potenti, facilem sibi esse ad diuitias viam, quo die prænituisset bonæ mentis. Nec inuidebo, inquit, vobis hanc artem, sed docebo eos quibus quæsito opus est, quemadmodum non dubiam fortunam maris, non emendi vendidique aleam subeant, non incertam fidem ruris, incertiorum fori tentent, quemadmodum non solum facili, sed etiam hilari viâ pecuniam faciant, gaudentesque dispolient. Te, inquit, longiorem Fido Annæo iurabo, & Apollonio Pyctâ, quamuis staturam habeas Thracæ incompositi. Hominem quidem non esse vllum liberaliorem, non mentiar, cum possis videri omnibus donasse, quidquid dereliquisti. Ita est, mi Iunior, quò apertior est adulatio, quò improbior, quò magis frontem suam perfricit, cecidit alienam, hoc citiùs expugnat. Eò enim iam dementiæ venimus, vt qui parè adulatur, pro maligno sit. Solebam tibi dicere, Gallionem fratrem meum (quem nemo non parum amat, etiam qui amare plus non potest) alia vitia non nosse, hoc etiam odisse. ab omni illum

A illum parte tentasti. Ingenium suspicere cœpisti, omnium maximum & dignissimum, quod consecrari mallet, quàm conteri: pedes abstulit. Frugalitatem laudare cœpisti. prima statim verba præcidit. Cœpisti mirari comitatem & incompositam suauitatem: quæ illos quoque, quos transit, abducit, gratuitum etiam in obuios meritum. Nemo enim mortalium vni tam dulcis est, quàm hic omnibus: cum interim tanta naturalis boni vis est, vt artem simulationemque non redoleat. Nemo non imputari sibi bonitatem publicam patitur. Hoc quoque loco blanditiis tuis restitit, vt exclamares inuenisse te inexpugnabilem virum aduersus insidias, quas nemo non in sinu recipit. Eò quidem magis hanc eius prudentiam, & in euitando ineuitabili malo pertinaciam te suspicere confessus es, quia speraueras posse apertis auribus recipi, quamuis blanda diceres, quia vera dicebas. Sed eò magis intellexit obstandum. Semper enim falsis à vero petitur veritas. Nolo tamen tibi displiceas, quasi malè egeris mimum, & quasi ille aliquid iocorum aut doli suspicatus sit. Non deprehendit te, sed repulit. Ad hoc exemplar componere.

B Cum quis ad te adulator accesserit, dicito: I tu, ista verba, quæ iam ab alio magistratu ad alium cum lictoribus transeunt, ferto ad aliquem, qui paria facturum, vult quidquid dixeris, audire. Ego nec decipere volo, nec decipi possum. Laudari me à vobis, nisi laudaretis etiam malos, vellem. Quid autem necesse est in hoc descendere, vt te petere cominus possint? Longum inter vos interuallum sit. Cum cupieris benè laudari, quare hoc vlli debeas? Ipse te lauda. dic: Liberalibus me studiis tradidi, quamquam paupertas alia suaderet, & ingenium eò duceret, vbi præfens studij pretium est. Ad gratuita carmina deflexi me, & ad salutare philosophiæ studium contuli. Ostendi in omne peccus cadere virtutem: & eluctatus natalium angustias, nec forte me, sed animo mensus, par maximis fecti. Non mihi inimicitia Getulici Caij fidem eripuit, non in aliorum personam infelicitè amatorum, Messala & Narcissus, diu publici hostes, antequam sui, propositum meum potuerunt euertere. Ceruicem pro fide opposui. Nullum verbum mihi, quod non salutem bonis procederet, excussum est. Pro amicis omnia timui, pro me nihil. nisi ne parum bonus amicus fuisset. Non mihi muliebres fluxere lacrimæ, non è manibus vllius supplex pependi. Nihil indecorum nec bono, nec viro feci. Periculis meis maior, paratus ire in ea quæ minabantur, egi gratias fortunæ, quod experiri voluisset, quanti aestimarem fidem. Non debebat mihi paruo res tanta constare. Nec examinauit me quidem diu: neque enim paria pendebant, vtrum satius esset me perire pro fide, an fidem pro me. Non præcipiti impetu in vltimum consilium, quo me eriperem furori potentium, misi. Videbam apud Caium tormenta, videbam ignes. Sciebam olim sub illo in eum statum res humanas decidisse, vt inter misericordiæ opera haberetur, occidi. Non tamen ferro incubui, nec in mare aperto ore defilui, ne viderer pro fide tantum mori posse. Adhuc nunc inuictum muneribus animum, & in tanto auaritiæ certamine numquam suppositam manum lucro. Adhuc nunc victus parsimoniam, sermonis modestiam, aduersus minores humanitatem, aduersus maiores reuerentiam. Post hoc ipse te consule, verane an falsa memoraueris. Si vera sunt, coram magno teste laudatus es: si falsa, sine teste derisus es. Possum & ipse nunc videri te aut captare, aut experiri. Vtrumlibet crede, & omnes timere à me incipe. Virgilianum illud excute:

Nusquam tuta fides.

Aut Ouidianum,

Quæ terra patet, fera regnat Erymis.

In facinus iurasse putes.

Aut illud Menandri: (Quis enim non in hoc magnitudinem ingenij sui concitauit, detestatus consensum humani generis, tendentis ad vitia?) Omnes, ait, malos viuere: & in scenam velut rusticus poëta profiluit. Non senem exceperit, non puerum, non faminam, non virum: & adiicit, non singulos peccare, nec paucos, sed iam scelus esse contextum. Fugiendum ergo, & in se redeundum est, imò etiam à se recedendum. Hoc tibi, etsi diuidimur mari, præstare tentabo, vt dubium viæ, iniectâ manu, ad meliora perducam. Et ne solitudinem sentias, hinc tecum miscebo sermones. Erimus vnâ, quâ parte

optimi sumus: dabimus inuicem consilia, non ex vultu audientis pendentia. Longè te ab istâ prouinciâ abducam, ne fortè magnam historiis esse fidem credas, & placere tibi incipias, quotiens cogitaueris. Hanc ego habeo sub meo iure prouinciam, quæ maximarum urbium exercitus & sustinuit & fregit, cum inter Carthaginem & Romam ingentis belli pretium iacuit, cum quattuor Romanorum principum, id est, totius imperij vires contractas in vnum locum vidit, altamque Pompeij fortunam erexit, Caesaris fatigauit, Lepidi transfudit, omniumque cepit: quæ illi ingenti spectaculo interfuit, ex quo liquere mortalibus posset, quàm velox foret ad imum lapsus ex summo, quàmque diuersâ viâ magnam potentiam fortuna destrueret. Vno enim tempore vidit Pompeium Lepidumque, ex maximo fastigio, aliter ad extrema deiectos, cum Pompeius alienum exercitum fugeret, Lepidus suum.

- C A P. I. Itaque ut te totâ mente abducam, quamuis multa habeat Sicilia in se, circaque se mirabilia, omnes interim prouinciæ tuæ quaestiones præteribo, & in diuersum cogitationes tuas abstraham. Quæram enim tecum id quod libro superiore distuli: * Quid ita Nilus æstiuus mensibus abundet. Cui Danubium similem habere naturam philosophi tradiderunt, quod & fontis ignoti, & æstate quàm hieme maior sit. Vtrumque apparuit falsum. Nam & caput eius in Germaniâ esse comperimus: & æstate quidem incipit crescere, sed adhuc manente intra mensuram suam Nilo, primis caloribus, cum sol vehementior inter extrema veris niues emollit, quas antè consumit, quàm intumescere Nilus incipiat. Reliquo verò æstatis minuitur, & ad hibernam magnitudinem redit, atque ex eâ demittitur. At Nilus ante exortum caniculæ augetur mediis æstibus, ultra æquinoctium. Hunc nobilissimum amnem natura extulit ante humani generis oculos, & ita disposuit, ut eo tempore inundaret Ægyptum, quo maximè vsta feruoribus terra vndam altiùs traheret, tantum hausura, quantum siccitati annuæ sufficere possit. Nam in eâ parte, quæ in Æthiopiâ vergit, aut nulli imbres sunt, aut rari, & qui insuetam aquis cælestibus terram non adiuuent. Vnam, ut scis, Ægyptus in hoc spem suam habet. * Proinde aut sterilis annus aut fertilis est, prout ille magnus influxit, aut parcior. Nemo aratorum adspicit cælum. Quare non * cum C. poetâ meo iocor, & illi * Ouidium suum impingo? qui ait:

— *Nec pluuio supplicat herba Ioui.*

Vnde crescere incipiat si comprehendi posset, causæ quoque incrementi inuenirentur. Nunc verò magnas solitudines peruagatus, & in paludes diffusus, gentibus sparsus, circa Philas primùm ex vago & errante colligitur. Phila insula est aspera & vndique prærupta: duobus in vnum coituris amnibus cingitur, qui Nilo mutantur, & eius nomen ferunt. Urbem totam complectitur. Hanc Nilus magnus magis quàm violentus, egressus Æthiopiâ arenasque, per quas iter ad cõmercia Indici maris est, prælabitur. Excipiunt eum cataractæ, nobilis insigni spectaculo locus. Ibi per arduas excisasque pluribus locis rupes Nilus insurgit, & vires suas concitat. Frangitur enim occurrentibus saxis, & per angusta eluctatus, vbicumque vincit, aut vincitur, fluctuat: & illic excitatis primùm aquis quas sine tumultu leni alueo duxerat, violentus, & torrens per malignos transitus profilit, dissimilis sibi. Quippe ad id lutosus & turbidus fluit. At vbi scopulos verberauit, D spumat: & illi non ex naturâ suâ, sed ex iniuriâ loci color est. Tandemque eluctatus obstantia, in vastam altitudinem subito destitutus cadit, cum ingenti circumiacentium regionum strepitu. Quem perferre gens ibi à Persis collocata non potuit, obtusis assiduo fragore auribus, & ob hoc sedibus ad quietiora translatis. Inter miracula fluminis incredibilem incolarum audaciam accepi. Bini paruula nauigia conscendunt, quorum alter nauem regit, alter exhaurit. Deinde multum inter rapidam insaniam Nili, & reciprocos fluctus volutati, tandem tenuissimos canales tenent, per quos angusta rupium effugiunt: & cum toto flumine effusi, nauigium ruens manu temperant, magnoque spectantium metu in caput nixi, cum iam adploraueris, mersosque atque obrutos tantâ mole credideris, longè ab eo, in quem ceciderant, loco nauigant, tormenti modo missi. Nec mergit cadens vnda, sed planis aquis tradit. Primum incrementum Nili circa insulam, quam modò retuli, Philas noscitur. Exiguo ab hac spatio petra diuiditur, & *Caros* Græci vocant:

A vocant: nec illam vlli, nisi antistites calcant: illa primùm saxa auctum fluminis sentiunt. Post magnum deinde spatium duo eminent scopuli, Nili venas vocant incolæ: ex quibus magna vis funditur, non tamen quanta operire posset Ægyptum. In hæc ora stipei sacerdotes, & aurea dona præfecti, cum solenne venit sacrum, iaciunt. Hinc iam manifestus nouarum virium Nilus, alto ac profundo alveo fertur, ne in latitudinem excedat obiectu montium pressus. Circa Memphim demum liber, & per campestria vagus, in plura scinditur flumina, manuque canalibus factis, vt sit modus in deriuantium potestate, per totam discurret Ægyptum. Initiò diducitur, deinde continuatis aquis in faciem lati ac turbidi maris stagnat: cursum illi violentiamque eripit latitudo regionum, in quas extenditur, dextrâ læuaque totam amplexus Ægyptum. Quantum creuit Nilus, tantum spei in annum est. Nec computatio fallit agricolam: adeò ad mensuram fluminis respondet, quam fertilem facit Nilus. Is arenoso & sitienti solo & aquam inducit & terram. Nam cum turbulentus fluat, omnem in ficcis atque hiantibus locis faciem relinquit: & quidquid pingue secum tulit, arenis locis allinit: iuuatque agros duabus ex causis, & quòd inundat, & quòd oblimat. Ita quidquid non adiit, sterile ac squalidum iacet. Si creuit super debitum, nocuit. Mira æquè natura fluminis, quòd cum ceteri amnes abluant terras & cuiuscerent, Nilus tanto ceteris maior, adeò nihil exedit, nec abradit, vt contrà adiciat vires, minimumque in eo sit quod solum temperet. Illato enim limo, arenas saturat ac iungit. Debetque illi Ægyptus non tantum fertilitatem terrarum, sed ipsas. Illa facies pulcherrima est, cum iam se in agros Nilus ingessit. Latent campi, opertæque sunt valles: oppida insularum modo exstant. Nullum in mediterraneis, nisi per nauigia commercium est. Maiorque est lætitia gentibus, quòd minus terrarum suarum vident. Sic quoque cum se ripis continet Nilus, per septena ostia in mare emittitur: quodcumque elegeris ex his, mare est. Multos nihilominus ignobiles ramos in aliud atque aliud littus porrigit. Ceterum beluas, marinis vel magnitudine vel noxâ pares, educat. Et ex eo quantus sit, æstimari potest, quòd ingentia animalia & pabulo sufficienti, & ad vagandum loco, continet. Babillus virorum optimus, in omni litterarum genere rarissimus, auctor est, cum ipse præfectus obtineret Ægyptum, Heracleotico ostio Nili, quod est maximum, spectaculo sibi fuisse delphinorum à mari occurrentium, & crocodilorum à flumine aduersum agmen agentium, velut pro partibus prælium. Crocodilos ab animalibus placidis morsuque innoxii victos. His superior pars corporis dura & impenetrabilis est etiam maiorum animalium dentibus; at inferior mollis ac tenera: hanc delphini spinis, quas dorso eminentes gerunt, submersi vulnerabant, & in aduersum enixi diuidebant. Recisis hoc modo pluribus, ceteri velut acie versâ refugerunt. Fugax animal audaci, audacissimum timido. Nec illos Tentyritæ generis aut sanguinis proprietate superant, sed contemptu & temeritate. Vtrò enim insequuntur, fugientesque iniecto trahunt laqueo: plerique pereunt, quibus minus præfens animus ad persequendum fuit. Nilum aliquando marinam aquam detulisse, Theophrastus est auctor. Biennio continuo, regnante Cleopatrá, non ascendisse, decimo regni anno & vndecimo constat. Significatam aiunt duobus rerum potentibus defectionem. Antonij enim Cleopatráque defecit imperium. Per nouem annos non ascendisse Nilum superioribus sæculis, Callimachus est auctor. Sed nunc ad inspiciendas causas, propter quas æstate Nilus crescat, accedam, & ab antiquissimis incipiam. Anaxagoras ait, ex Æthiopiæ iugis solutas niues ad Nilum vsque decurrere. In eadem opinione omnis vetustas fuit. Hoc Æschylus, Sophocles, Euripides tradunt. Sed falsum esse, argumentis plurimis patet. Primò Æthiopiæ feruentissimam esse, indicat hominum adustus color, & Troglodytæ, quibus subterraneæ domus sunt. Saxa velut igni feruescunt, non tantum medio, sed inclinato quoque die: ardens puluis, nec humani vestigij patiens: argentum replumbatur: signorum coagmenta soluiuntur: nullum materie superadornatæ manet operimentum. Auster quoque, qui ex illo tractu venit, ventorum calidissimus est. Nullum ex his animalibus quæ latent brumâ, vniquam reconditur. Etiam per hiemem in summo & aperto serpens est. Alexandriæ quoque, quæ longè ab huiusmodi immodicis caloribus est posita,

niues non cadunt: superiora etiam pluuiâ carent. Quemadmodum ergo regio tantis A
 subiecta feruoribus duraturas per totam æstatem niues recipit? Quas sanè aliqui mon-
 tes illi quoque excipiant: numquam tamen magis quàm Thraciæ iuga aut Caucasus.
 Atqui horum montium flumina vere & primâ ætate intumescunt, deinde hibernis mi-
 nora sunt. Quippe vernis temporibus imbres niuem diluunt: reliquias eius primus calor
 dissipat. Nec Rhenus, nec Rhodanus, nec Ister, nec Caystrus subiacent malo: æstate
 proueniunt. Altissimæ sunt & in illis Septemtrionalibus iugis niues. Phasis quoque per
 id tempus. ⁷ & Borysthenes cresceret, si niues flumina possent contra æstatem magna
 producere. Præterea si hæc causa attolleret Nilum, æstate primâ plenissimum fluere.
 Tunc enim maximæ & integræ adhuc niues, ex mollissimoque tabes est. Nilus autem
 per menses quattuor liquitur, & illi æqualis accessio est. Si Thaleti credis, Etesiæ disce-
 denti Nilo resistunt, & cursus eius actio contra ostia mari sustinent: ita reuerberatus in
 se recurrit: nec crescit, sed exitu prohibitus resistit, & quacumque mox potuit, incon-
 cessus erumpit. ⁸ Euthymenes Massiliensis testimonium dicit: Nauigauit, inquit, B
 Atlanticum mare. Inde Nilus fluit maior, quamdiu Etesiæ tempus obseruant: tunc enim
 eiicitur mare instantibus ventis. Cùm resederint, & pelagus conquiescit: minorque dis-
 cedenti inde vis Nilo est. Ceterùm dulcis maris sapor est, & similes Niloticis beluæ.
 Quare ergo, si Nilum Etesiæ prouocant, & ante illos incipit incrementum eius, & post
 eos durat? Præterea non fit maior, quò illi fluere vehementius? Nec remittitur incita-
 turque, prout illis impetus fuit: quod fieret, si illorum viribus cresceret. Quid, quò
 Etesiæ litus Ægyptium verberant, & contra illos Nilus descendit, inde venturus, vnde
 illi, si origo ab illis esset. Præterea ex mari purus & caruleus efflueret, non vt nunc turbi-
 dus venit. Adde, quò testimonium eius testium turbâ coarguitur. Tunc erat menda-
 cio locus, cùm ignota essent externa. Licebat illis fabulas mittere. Nunc verò tota exteri
 maris ora mercatorum nauibus stringitur: quorum nemo narrat nunc caruleum Nil-
 lum, aut mare saporis alterius. quod & natura credi vetat: quia dulcissimum quodque
 & leuissimum sol trahit. Præterea quare hieme non crescit? & tunc potest ventis concit-
 tari mare, aliquanto quidem maioribus. Nam Etesiæ temperati sunt. Quòd si è mari C
 ferretur Atlantico, semel oppleret Ægyptum. At nunc per gradus crescit. Oenopides
 Chius ait, hieme calorem sub terris contineri: ideò & specus calidos esse, & tepidiorum
 puteis aquam: itaque venas interno calore ficcari. Sed in aliis terris augentur imbribus
 flumina. Nilum, quia nullo imbre adiuuetur, tenuari, deinde crescere per æstatem: quo
 tempore frigent interiora terrarum, & redit rigor fontibus. Quòd si verum esset, æstate
 flumina crescerent, omnesque putei æstate abundarent. Deinde non calorem hieme sub
 terris esse maiorem. Aqua & specus & putei tepent: quia aëra rigentem extrinsecus non
 recipiunt. Ita non calorem habent, sed frigus excludunt. Ex eadem causâ æstate refrige-
 scunt: quia illò remotus seductusque aër calefactus non peruenit. Diogenes Apolloni-
 ates ait: Sol humorem ad se rapit: hunc exsiccata tellus tum ex mari ducit, tum ex ce-
 teris aquis. Fieri autem non potest, vt vna sicca sit tellus, alia humeat. Sunt enim perfo-
 rata omnia, & inuicem peruia. Sicca ab humidis sumunt aliquando. Nisi aliquid terra D
 acciperet, exaruisset. Ergo vndas sol trahit: sed ex his quæ premunt, maximè hæc meri-
 diana sunt. Terra cùm exaruit, plus ad se humoris adducit. vt in lucernis oleum illò
 fluit, vbi exurit: sic aqua illò incumbit, quò vis coloris & terræ æstuantis arcessit. Vn-
 de ergo trahitur? ex illis scilicet partibus semper hibernis, Septemtrionalibus, vnde exun-
 dat. Ob hoc pontus in infernum mare assidue fluit rapidus, non vt cetera maria, alter-
 natis vltro citro æstibus, in vnam partem semper pronus & torrens. Quòd nisi faceret,
 hisque itineribus, quod cuique deest, redderetur, quod cuique superest, emitteretur; iam
 aut siccata essent omnia, aut inundata. Interrogare Diogenem libet, quare, cùm pontus
 & amnes cuncti inuicem commeent, non omnibus locis æstate maiora sunt flumina?
 Ægyptum sol magis percoquit. Itaque Nilus magis crescit. Sed in ceteris quoque ter-
 ris aliqua fluminibus fiat adiectio. Deinde quare vlla pars terræ sine humore est, cùm
 omnis ad se ex aliis regionibus trahit: eoque magis, quò calidior est. Deinde quare
 Nilus

A Nilus dulcis est, si illi è mari vnda est? Nec enim vlli flumini dulcior gustus.

III.

Grandinem hoc modo fieri, si tibi affirmauero, quo apud nos glacies fit, gelatâ nube torâ, nimis audacem rem fecero. Itaque ex his me testibus numerâ secundâ notâ, qui vidisse quidem se negant, sed audisse. Aut quod historici faciunt, & ipse faciam. Illi cum multa mentiti sunt ad arbitrium suum, vnam aliquam rem nolunt spondere: sed adiiciunt, Penes auctores fides erit. Ergo si mihi parùm credis, Posidonius tibi auctoritatem promittet, tam in illo quod præteritum, quàm in hoc quod secuturum est. Grandinem enim fieri ex nube aquosâ, etiam in humorem versâ, sic affirmabit, tamquam interfuerit. Quare autem rotunda sit grando, etiam sine magistro scire potes, cum adnotaueris, stillicidium omne conglomerari. Quod & in speculis apparet, quæ humorem halitu colligunt, & in poculis sparsis, aliâque omni læuitate: nam & in herbarum vel arborum foliis, si quæ guttæ adhaferunt, in rotundum iacent.

Quid magis est saxo durum? quid mollius vnda?

Dura tamen molli saxa cauantur aquâ.

B aut, vt alius poëta ait:

Stillicidi casus lapidem cauat. —

& hæc ipsa excauatio rotunda fit. Ex quo apparet illud, huic quoque simile esse quod cauat. Locum enim sibi ad formam & habitum suum exsculpat. Præterea potest, etiam si non fuerit grando talis, cum defertur, corrotundari, & toties per spatium aëris densi deuoluta æquabiliter atque in orbem teri. Quod nix pati non potest: quia non est tam solida, imò fusa est, & non per magnam altitudinem cadit, sed circa terras initium eius est. Ita non longius illi per aëra, sed ex proximo lapsus est. Quare non & ego idem mihi permittam, quod Anaxagoras: cum inter nullos magis quàm inter philosophos esse debeat æqua libertas? Grando nihil aliud est quàm suspensa glacies. Nix, in pruina pendens congelatio. Illud enim iam diximus, quod inter aquam & rorem interest, hoc inter pruina & glaciem, necnon inter niuem & glaciem interesse. Poteram me, per-

IV.

C actâ quæstione, dimittere: sed ¹⁰ benè emensum dabo: & quoniam cœpi tibi molestus esse, quidquid in hoc loco quaeritur, dicam. Quaeritur autem, quare hieme ningat, non grandinet: & vere, iam frigore infracto, grando cadat. Nam, vt fallar tibi, verum mihi quidem persuadetur, qui me vsque ad mendacia hæc leuiora, in quibus ¹¹ os præcidi, non oculi erui solent, credulum præsto. Hieme aër riger: & ideo nondum in aquam vertitur, sed in niuem, cui aër propior est. Cum ver cœpit, maior inclinatio aëris sequitur, & calidioræ cælo maiora fiunt stillicidia. Ideo, vt ait Virgilius noster,

— cum ruit imbriferum ver,

vehementior immutatio est aëris vndique patefacti & soluentis se, ipso tempore adiuuante. Ob hoc nimbi graues magis vastique quàm pertinaces deferuntur. Bruma lentas pluias habet & tenues: quales sæpe solent interuenire, cum pluuia rara & minuta, niuem quoque admixtam habet. Dicimus niualem diem, cum altum frigus, & triste cælum est. Præterea Aquilone flante, & suum cælum habente, minutæ pluiæ sunt: Austro

V.

D imber improbius est, & guttæ pleniore sunt.

Rem à nostris positam nec dicere audeo, quia infirma videtur: nec præterire. Quid enim mali est, aliquid & faciliori iudici scribere? Imò si omnia argumenta ad lancem cœperimus exigere, silentium indicetur. Pauca enim admodum sunt sine aduersario. Cetera etiam si vincunt, litigant. Aiunt, quidquid circa Scythiam & Pontum & Septemtrionalem plagam glaciatum & adstrictum est, vere relaxari. tunc flumina gelata discedere, tunc obrutos montes niuem soluere. Credibile est ergo, frigidus spiritus inde fieri, & verno cælo immisceri. Illud quoque adiiciunt, quod nec sum expertus, nec experiri cogito. Tu quoque, cenfeo, si volueris verum exquirere, niuem ita caue experiaris. Minus algere aiunt pedes eorum, qui fixam & duram niuem calcant, quàm eorum qui teneram & labefactam. Ergo, si non mentiuntur, quidquid ex illis Septemtrionalibus locis iam distributâ niue, & glacie frangente se fertur, id meridianæ partis tepentem iam humidumque aëra alligat, & perstringit. Itaque cum pluuia futura erat, grando fit, iniuriâ frigoris.

PP 4

¹¹ Non

- VI. ¹² Non tempero mihi, quò minùs omnium nostrorum ineptias proferam. Quosdam A peritos obseruandarum nubium esse affirmant, & prædicere cum grando futura sit: & hoc intelligere vsu ipso potuisse, cum colorem nubium notassent, quem grando tories insequeretur. Illud incredibile, Cleonis fuisse publicè præpositos *χαλαροφυλακας*, speculatores futuræ grandinis. Hi cum signum dedissent, adesse iam grandinem, quid expectas? vt homines ad penulas discurrerent, aut ad scortea? Imò pro se quisque alius agnum immolabat, alius pullum. Protinus autem illæ nubes aliò declinabant, cum aliquid gustassent sanguinis. Hoc rides. Accipe, quod rideas magis. Si quis nec agnum nec pullum habebat, quod sine damno fieri poterat, manus sibi afferebat. Et ne tu auidas aut crudes existimes nubes, digitum suum benè acuto graphio pungebat, & hoc sanguine litabat. Nec minùs ab huius agello grando se auerteat, quàm ab illo, in quo maioribus hostiis exorata erat.
- VII. Rationem huius rei quidam quærent. Alteri, vt homines sapientissimos decet, negant posse fieri, vt cum grandine aliquis paciscatur, & tempestates munusculis redimat, ¹³ quamuis munera etiam deos vincant. Alteri suspicari ipsos B aiunt, esse in ipso sanguine vim quandam potentem auertendæ nubis, ac repellendæ. Sed quomodo in tam exiguo sanguine potest esse vis tanta, vt in altum penetret, & eam sentiant nubes? Quanto expeditius erat dicere, Mendacium & fabula est? At Cleonis iudicia reddebant in illos, quibus delegata erat cura prouidendæ tempestatis: quòd negligentia eorum vineæ vapulassent, aut segetes procidissent. Et apud nos in duodecim tabulis cauetur, ne quis alienos fructus excantassit. Rudis adhuc antiquitas credebat & attrahi imbres cantibus, & repelli: quorum nihil posse fieri, tam palàm est, vt huius rei causam nullius philosophi schola intranda sit. ¹⁴ Vnam rem adhuc adiiciam, & fauere ac laudare te iuuabit. Aiunt niuem in eâ parte aëris fieri, quæ prope terras est. Hanc enim plus habere caloris ex tribus causis. Vna, quòd omnis terrarum euaporatio, cum multum intra se feruidi aridique habeat, hoc est calidior, quò recentior. Altera, quòd radij solis à terrâ resiliunt, & in se recurrunt. Horum duplicatio proxima quæque à terris calefacit. Quæ ideò plus habent teporis, quia solem bis sentiunt. Tertia causa est, quòd magis superiora perflantur. At quæcumque depressa sunt, minùs ventis verberantur.
- IX. Accedit his ratio Democriti. Omne corpus quò solidius est, hoc calorem citiùs concipit, & diutiùs seruat. Itaque si in sole posueris æneum vas & vitreum & argenteum, æneo citiùs calor accedet, diutiùs hærebit. Adicit deinde, quare hoc existimet fieri. His, inquit, corporibus, quæ duriora, & pressiora densioraque sunt, necesse est minora foramina esse, & tenuiorem in singulis spiritum. Sequitur vt quemadmodum minora balnearia & minora miliaria citiùs calefiunt, sic hæc foramina occulta & oculos effugientia, & celeriùs feruorem sentiant, & propter easdem angustias quidquid receperunt, tardiùs reddant.
- X. Hæc longè præparata ad id perducunt, de quo nunc quæritur. Omnis aër quò propior est terris, hoc crassior. Quemadmodum in aquâ & in omni humore fax ima est: ita in aère spississima quæque desidunt. Iam autem probatum est, omnia quò crassioris solidiorisque materiæ sunt, hoc fideliùs custodire calorem receptum: sed quò editior est aër, & quò longiùs à terrarum colluue recessit, hoc sincerior puriorque est. Itaque solem non retinet, sed velut per inane transmittit: ideò minùs calefit.
- XI. Contrà autem quidam aiunt, cacumina montium hoc calidiora esse debere, quò soli propiora sunt. Qui mihi videntur errare, quòd Apenninum & Alpes, & alios notos ob eximiam altitudinem montes intantum putant crescere, vt illorum magnitudo sentire solis viciniam possit. Excelsa sunt ista, quamdiu nobis comparantur: at verò vbi ad vniuersum respexeris, manifesta est omnium humilitas. Inter se vincuntur, & vincunt. Ceterum intantum nihil attollitur, vt collatione totius nulla sit vel maximis portio: quod nisi esset, non diceremus, totum orbem terrarum pilam esse. Pilæ proprietates est, cum æqualitate quadam rotunditas: æqualitatem autem hanc accipe, quam vides in lusoria pilâ. Non multum illi commissuræ & rimæ earum nocent, quò minùs par sibi ab omni parte dicatur. quomodo in hac pilâ, nihil illa intervalla officiant ad speciem rotundi, sic nec in vniuerso quidem orbe terrarum editi montes, quorum altitudo totius mundi colla-

A collatione consumitur. Qui dicit altiore montem, quia solem propius excipiat, magis calere debere: idem dicere potest, longiorem hominem citius quam pusillum debere caleferi, & citius caput eius quam pedes. At quisquis mundum mensurâ suâ aestimauerit, & terram cogitauerit tenere puncti locum, intelliget nihil in illâ posse ita eminere, ut caelestia magis sentiat, velut in propinquum illis accesserit. Montes isti quos suspicimus, & vertices aeternâ niue obsessi, nihilominus in imo sunt. & propius quidem soli est mons, quam campus aut vallis: sed sic, quo modo est pilus pilo crassior. Isto enim modo, & arbor alia magis quam alia dicitur vicina caelo: quod falsum est: quia inter pusilla non potest esse magnum discrimen, nisi dum inter se comparantur. Vbi ad collationem immensi corporis ventum est, nihil interest quanto alterum altero sit maius: quia etiam si magno discrimine, tamen minima dicuntur.

XII.

Sed ut ad propositum reuertar, propter has quas retuli causas, plerisque placuit, in eâ parte aëris niuem concipi, quæ vicina terris est: & idcirco minus alligari, quia minore frigore coit. Nam vicinus aër & plus habet frigoris, quam ut in aquâ & imbrem transeat, & minus quam ut duretur in grandinem. Hoc medio frigore non nimis intento niues fiunt coactis aquis.

XIII.

Quid istas, inquis, ineptias, quibus nec literatior sit quisquam, nec melior, tam operosè persequeris? Quomodo fiant niues, dicis: cum multò magis ad nos dici à te pertineat, quate emendæ non sint niues. Iubes me cum luxuriâ litigare. Quotidianum istud & sine effectu iurgium est. Litigemus tamen: etiam si superior futura est, pugnantem ac reluctantes vincat. Quid porro? Hanc ipsam inspectionem naturæ nihil iudicas ad id, quod vis, conferre? Cum quarimus, quomodo nix fiat, & dicimus illam ptuinæ similem habere naturâ, plus illi spiritus quam aquæ inesse, non putas exprobrari illis: cum emere aquam turpe sit, si nec aquam quidem emunt? Nos verò quarimus potiùs, quomodo fiant niues, quam quomodo seruentur: quoniam non contenti vîna diffundere veterana, & per saporis atatesque disponere, inuenimus quomodo stiparemus niuem, ut ea æstatè euinceret, & contra anni feruorem defenderetur loci frigore. Quid hac diligentia consecuti sumus? Nempe ut gratuitam mercedem aquam. Nobis dolet, quòd spiritum, quòd solem emere non possumus, quòd hic aër etiam delicatis diuitibusque ex facili nec emptus venit. O quam nobis malè est, quòd quidquam à rerum naturâ in medio relictum est. Hoc quod illa fluere & patere omnibus voluit, cuius haustum vitæ publicum fecit: hoc quod tam homini, quam feris auibisque, & inertissimis animalibus, in usum largè ac beatè profudit, contra se ingeniosa luxuria redegit ad prærium. Adeò nihil potest illi placere, nisi carum. Vnum hoc erat, quod diuites in æquum turbæ deduceret, quo vno non possent antecedere pauperrimum. Illi cui diuitiæ molestæ sunt, excogitatum est, quem admodum etiam aqua caperet luxuriam. Vnde ad hoc peruentum sit, ut nulla nobis aqua satis frigida videretur quæ flueret, dicam. Quamdiu sanus & salubris cibi capax stomachus est, impleturque, non premitur, naturalibus fomentis còtentus est. Vbi quotidianis cruditatibus non temporis æstus, sed suos sentit, ubi ebrietas continua visceribus infedit, & præcordia bile, in quam vertitur, torret, aliquid necessariò quaritur, quo æstus ille frangatur, qui ipsis aquis incalescit, remediis incitat vitium. Itaque non æstate tantum, sed & mediâ hieme niuem hac causâ bibunt. Quæ huius rei causa est, nisi intestinum malum, & luxu corrupta præcordia, quibus nullum interuallum vîquam quo interquiescerent, datum est, sed prandia cænis vsque in lucem perductis ingesta sunt, & distentos copiâ ferculorum ac varietate, comestatio altius metit? Deinde numquam intermissa intemperantia, quidquid antè decoxerat, efferauit, & in desiderium semper noui rigoris accendit. Itaque quamuis cænationem velis ac specularibus muniant, & igne multo doment hiemem, nihilominus stomachus ille solutus, & æstu suo languidus, quarit aliquid quo erigatur. Nam sicut apimo relictos stupentesque frigidâ spargimus, ut ad sensum sui redeant: ita viscera istorum vitii torpentia nihil sentiunt, nisi frigore illa vehementiore perusseris. Inde est, inquam, quod nec niue quidem contenti sunt, sed glaciem, velut certior illi ex solido rigor sit, exquirunt, ac sæpe repetitis aquis diluunt: quæ non è summo tollitur, sed ut vim maiorem habeat, & pertinacius frigus, ex abdito effodi-

effoditur. Itaque ne vnum quidem eius est pretium: sed habet institores aqua, & anno-
 nam, prò pudor, variam. Vnguentarios Lacedaemonij vrbe expulerunt, & properè ce-
 dere finibus suis iusserunt, quia oleum disperderent. Quid illi fecissent, si vidissent re-
 ponendæ niuis officinas, & tot iumenta portandæ aquæ deseruientia, cuius colorem fa-
 poremq̃ paleis, quibus custodiunt, inquinant? At dij boni, quàm facile est extin-
 guere sitim sanam. Sed quid sentire possunt emortuæ fauces, & occallatæ cibus arden-
 tibus? Quemadmodum nihil illis satis frigidum, sic nihil satis calidum est. Sed arden-
 tes boletos, & raptim condimento suo mersatos, demittunt panè fumantes, quos dein-
 de restinguant niuatis potionibus. Videbis, inquam, quosdam graciles, & palliolo foca-
 liquè circumdatos, pallentes & ægros, non sorbere solum niuem, sed etiam esse, & frustra
 eius in scyphos suos deicere, ne inter ipsam bibendi moram tepescant. Sitim istam esse
 putas? Febris est: & quidem eò acrior, quòd non tactu venarum, nec in cutem effuso
 calore deprehenditur. Sed eò ipsum excoquit luxuria, inuictum malum, & ex molli
 fluidoque durum atque patiens. Non intelligis, omnia consuetudine vim suam perde-
 re? Itaque nix ista, in quâ etiamnum natatis, eò peruenit vsu, & quotidianâ stomachi
 feruitute, vt aquæ locum obtineat. Aliquid adhuc quarite illi frigidius, quia pro nihilo
 est familiaris rigor.

M. ANTONII MVRETI
 AD LIBRVM QVARTVM
 NATVRALIVM SENECAE
 QVÆSTIONVM, NOTÆ.

VT omnes disputationes suas, vsitatâ sibi
 consuetudine, sermone aliquo, qui ad for-
 mandos mores pertineat, condiat, de Nilo,
 grandine, niue, pluuiâ, dicturus, elegan-
 tissimo proœmio vsitur de vitandis adulatoribus: &
 quantopere eorum consuetudo tum periculosa, tum
 perniciofa sit. In eo emendando quid præstiterim &
 ipse mihi conscius sum, & sciet, si quis hos libros cum
 antea editis conferre voluerit.

1. ANTE VILLEIVM.] Parum abest, quin legen-
 dum suspicer Velleium, vt intelligatur Velleius Pa-
 terculus, cuius fragmenta quadam historiarum ex-
 stant. Ille quidem cerè perfricta frõis adulator fuit.

AD CAP. I. 2. QUID ITA NILVS ÆSTI-
 VIS MENSIBVS ABVNDET.] De hac nobilissimâ
 questione multa disputat Herodotus libro secundo, sed
 multo copiosius multoq̃ eruditius Diodorus Siculus
 libro primo bibliotheca. Vide & Solinum capite XLV.
 & Plinium capite nono libri quinti, & Heliodorum
 libro secundo Aethiopicon.

AD CAP. II. 3. PROINDE AVT STERI-
 LIS ANNVS.] Plinius: In duodecim cubitis fa-
 mem sentit: in tredecim etiamnum esurit: XIII.
 cubita hilaritatem afferunt, XV. securitatem, XVI.
 delicias.

4. CVM POETA MEO.] Id est, tecum. erat
 enim & hic Lucilius poeta. Alij inepè, cum poetâ
 in eo.

5. OVIDIVM.] Memoria lapsus. Tibulli enim
 versus est, non Ouidij.

Te propter nullos tellus tua postulat imbres,
 Anda nec pluuio supplicat herba Ioui.

6. HANC DELPHINI.] Et de hoc naturali astu
 delphinarum aduersus Crocodilos, & de Tentyritarum
 audaciâ, vide Plinium cap. XXV. libri octauo.

7. ET BORYSTHENES.] Inepè aliq̃, eas
 oras tenens.

8. EVDIMENES MASSILIENSIS.] Legendum
 Euthymenes, è libro quarto eorum qui Plutarcho
 tribuuntur, de placitis philosophorum.

AD CAP. III. 9. GRANDINEM.] Aristo-
 teles capite XII. libri I. Meteorologicon.

AD CAP. IV. 10. BENE EMENSVM DA-
 BØ.] Bene emensum vocat & ἀμύρην, auctarium,
 corollarium. vt cum multis modis tritici pugillos ali-
 quot pro cumulo adiciunt.

11. OS PRÆCIDI, NON OCVLIVM ERVI SO-
 LENT.] Præcidere, aut fortassis præcludere os an-
 dientibus videntur, qui ita mentiuntur, vt contrâ
 dici

A dici non facile possit: at oculos eruere, qui non verentur ea pro veris affirmare, qua ad speciem ipso mendacij coargui possunt. Execrere enim eos qui audiunt, quantum in ipsis est, videntur.

minentem praenoscere, & illis impiis sacrificiis, aut sanguinis à digito effusione, populum in impietate ac superstitione retinerent. Vide cum libro VI. Stromat.

AD CAP. VI. 12. NON TEMPORE MIHI.] Horum speculatorum futura grandinis meministi & Plutarchus libri septimi symposiacon capite secundo. Et ne tota res, quae aliqui primo ad speciem ridicula est, fabulosa existimetur, grauis & sanctus scriptor, Clemens Alexandrinus, putat magos fuisse, qui longae eorum qua in sublimi fierent obseruatione, grandinem im-

AD CAP. VII. 13. QVAMVIS MYNERA ETIAM DEOS VINCANT.] Respicit ad illud Homericum,

Δῶρα θεῶν ἀνθρώποις, δ' ὤπ' αἰδούουσ' ἑσθλὰ δῶρα.

AD CAP. VIII. 14. De origine niuis, de qua hic agitur, videndus Aristoteles capite XI. libri 1. Meteorologicon.

B L. ANNÆI SENECAE

A D L V C I L I V M

NATURALIVM QVÆSTIONVM

LIBER QVINTVS.

In quo de Ventis & aëris motu agitur.

C ENTVS¹ est fluens aër. Quidam ita definierunt: Ventus est aër CAP. I.
fluens in vnam partem. Hæc definitio videtur diligentior: quia I.
numquam aër tam immobilis est, vt non in aliquâ sit agitatione.
Sic tranquillum mare dicitur, cum leuiter commouetur, nec in
vnam partem inclinatur. Itaque si legeris,
Cum placidum ventis staret mare:
scito illud non stare, sed succuti leuiter: & dici tranquillum, quia
nec huc nec illò impetum capiat. Idem & de aëre iudicandum
est, non esse vnumquam immobilem, etiam si quietus sit. Quod ex hoc intelligas licet.
Cum sol in aliquem clausum locum infusus est, videmus corpuscula minuta in aduersum
ferri, alia sursum, alia deorsum, variè concurrantia. Ergo parùm diligenter com-
prehendet quod vult, qui dixerit, Fluctus est maris agitatio: quia tranquillum quo-
que agitatur. At ille abundè sibi cauerit, cuius hæc definitio fuerit: Fluctus est maris
IIY
D in vnam partem agitatio. Sic in hac quoque re, de qua cum maximè quarimus, non
circumscribetur, qui ita se gesserit, vt dicat: Ventus est fluens aër in vnam partem:
aut, Ventus aër est fluens in partu, aut vis aëris in vnam partem euntis, aut cursus
aëris aliquo concitator. Scio quid responderi pro definitione alterâ possit. Quid necesse
est adiciere te, in vnam partem fluens aër? Vtique enim quod fluit, in vnam partem
fluit. Nemo aquam fluere dicit, si tantùm intra se mouetur, sed si aliquò fertur. Potest
ergo aliquid moueri, & non fluere: at è contrario non potest fluere, nisi in vnam partem.
Sed si hæc breuitas satis à calumniâ tuta est, hac vtamur. Si verò aliquis circumspectior
est, verbo non parcat, cuius adiectio cauillationem omnem poterit excludere. Nunc ad
ipsam rem accedamus, quoniam satis de formulâ disputatum est. Democritus IIY
ait, cum in angusto inani multa sunt corpuscula, quæ ille atomos vocat, sequi ventum.
At contrâ, quietum & placidum aëris statum esse, cum in multo inani pauca sunt cor-
puscula. Nam quemadmodum in foro aut vico quamdiu paucitas est, sine tumultu am-
bulatur: